

CONRADVS SOMIVS ECCLESIASTES VLMENSIS.



Conradus apud Sueuos natus & educatus à pueris bonis literis uacauit, atq; artium & linguarum fundamenta feliciter iecit. inde se ad uarias academias contulit, atq; S. Theologiae magna diligentia incubuit. Accedebat quoq; uitæ integras & naturalis factūdīa. Id cum Vlmensis Magistratus cognouisset, eum ad se uocauit, atq; suæ urbis Ecclesiastē constituit. Eam functionem Conradus magna dexteritate expediuit, & cunctis ciuibus gratissimus extitit. Accidit autē eo tempore, ut Euangelij doctrina passim in Germania spargeretur: eam cum Conradus intellexisset, apprehēdit, & ut publicē Vlmæ susciperetur, anno 1528 Magistratus autor fuit. Erat is Iohanni Oecolampadio & Huldrico Zuuinglio familiarissimus: itaq; priorem ad se Vlmam uocauit, atque eum religionis mutationi interesse uoluit. Huiusmodi officijs Conradus effecit, ut cunctis innotesceret, atq; apud posteros celebrem sui memoriam relinqueret. In Epist. Oecolamp. & Zuuinglī.